

testatem, recte *Vicarii foranei* nominantur. Glossa in Clem. *Et si principalis. de Rescript. in casu.*

16. *Vicarius generalis episcopi, quis?* — Ubi sciendum est, quod vicarius generalis episcopi solum dicatur ille, qui constitutus est cum generali potestate in loco, ubi episcopus sedem habet, ita ut censeatur idem esse auditorium utriusque, cap. II, *de Consuetud.* in 6 Unde concludit Nicol. Garcias part. V, *de Benefic.*, cap. VIII, n. 36, et Barbosa, loc. cit. num. 128, quod vicarius ille, quem archiepiscopus Toletanus ponit in civitate Complutensi, non sit vicarius generalis, et habens hujus privilegia, eo quod non resideat, ubi episcopus sedem habet, sicque non censeatur idem auditorium utriusque.

17. *Vicarius, in quo differat a delegato.* — Ratio est: quia, ut inquit Bartolus in L. 1. § 1. n. 4. ff. *Quis, et a quo appellat.* vicarius, et delegatus in hoc differunt, quod per *Vicarium* intelligatur ille, qui gerit vices ordinarii in eodem loco, et eodem tribunali, quo consuevit ipse ordinarius, puta episcopus, sedere: tunc enim vere dicitur idem auditorium, sicque de uno non appellatur ad alterum. Quando autem ordinarius committit alicui vices suas, seu universitatem causarum exercendam in alio loco, ut puta in aliquo castro sui territorii, non diceretur vicarius, sed *Delegatus*; nec appellaretur ab eo ad superiorem, sed ad ipsum, qui eum substituit: quia jam non est idem auditorium utriusque; prout colligitur ex dictis Innocentii c. *Romana. de Offic. ordin.* Ita discurrent Bartolus, loc. cit.; idemque tradit Maranta in *Speculo aureo*, part. IV. distinct. 5, n. 8.

18. *Inter vicarium generalem, et foraneum episcopi, multiplex datur differentia. A vicario generali non appellatur ad episcopum, bene tamen a foraneo.* — Porro inter vicarium generalem, et foraneum episcopi, multiplex ac notabilis est differentia. Imprimis enim appellatio ad episcopum non datur a vicario generali ipsius, c. *Non putamus. 2. de Consuetud.* in 6; bene tamen a vicario foraneo. Glossa in casu cit. c. *Non putamus*; Garcias d. cap. VIII, n. 29; post Rotam decis. 297. num. 3, part. II, divers; Barbosa, cit. allegat. 54, n. 22 et alii passim; estque dictum supra tit. *de Consuetudine*, § 3, n. 75 et 76, ac rursus dicitur hic inferius n. 24.

19. *Ille potest esse delegatus Papæ, non hic.* — Deinde vicarius generalis episcopi potest

a Sede Apostolica, vel legato ejusdem, dari delegatus, atque esse mandatorum et gratiarum Apostolicarum executor: non sic vicarius foraneus; prout habetur decisum in Clem. *Et si principalis. 2. de Rescript.* Siquidem juxta c. *Statutum*, 21, *de Rescript.* in 6. ut quis fiat delegatus Papæ, requiritur, quod sit in dignitate constitutus; atqui hoc non convenit vicario foraneo, bene tamen generali episcopi, ut illico amplius dicitur; ergo.

20. *Vicarius generalis episcopi, habet dignitatem, imo (spectato jure communi) præcedit canonicos cathedrales; secus est in foraneo.* — Tertio vicarius generalis episcopi censeatur habere dignitatem. Glossa in cit. Clem. *Et si principalis. 2. de Rescript.* et *Foraneo.* et doctores passim: quia habet præeminentiam cum jurisdictione conjunctam. Quinimo, cum is vices episcopi generaliter gerat, ejusque personam representet, adeo ut sit idem auditorium utriusque: hinc vicarius generalis, sicut ipse episcopus, est honorandus, can. *Præcipimus.* dist. 93. in tantum, ut spectato jure communi debeat præcedere canonicos cathedrales, atque ipsum archidiaconum. Rebuffus in *Praxi benefic.* tit. *de Vicariis episcopi.* n. 7. post Abbatem, consil. 21. vol. I; Felinum in *Rubric. de Majorit. et obed.*; ac sequitur Barbosa, cit. allegat. 45, n. 144, cum aliis: quamvis istud ultimum de facto vi contrariæ consuetudinis in multis Ecclesiis non observetur; Pirhing h. t. n. 34. Econtra vicarius foraneus non censeatur habere dignitatem: nisi hæc aliunde ipsi competat, ut quia est canonicus Ecclesiæ cathedralis. Glossa cit. *Foraneo.* (ADNOTATIO LXI.)

21. *Iste non est ordinarius, bene tamen ille. Vicarii foranei jurisdictio est delegata.* — Tandem, ut alia taceantur, vicarius foraneus non est ordinarius, bene tamen vicarius generalis. Fagnanus in c. *Relatum*, n. 43, *de Cleric. non resident.*, post glossam, et doctores in c. *Romana in princip.*, *de Appellat.* Et quidem, quod vicarius generalis habeat jurisdictionem ordinariam, sicque nomine *Ordinarii* veniat, ex professo dicitur infra, num. 91 et seqq. Quod autem vicarii foranei jurisdictio sit solum delegata, ac proinde ab ipso veluti delegato, detur appellatio ad episcopum delegantem, tenet Rota decis. 3. *de Offic. vicarii*; Glossa in Clem. 2 *Foraneo de Rescript.*; Covarruvias, *Practic. quest.* cap. IV, n. 8; Maranta, part. IV. *Speculi aurei*, dist. 5, n. 14 et 16; Garcias, *de Beneficiis*, part. V,

cap. VIII, n. 29 et 34; Barbosa, *de Offic. et potest. Episc.*, allegat. 54, n. 22 et seqq. citans plures alios: quamvis nonnulli oppositum teneant, quos refert, eorumque rationes solvit Barbosa, loc. cit., n. 21 et 25, et Garcias, n. 34 et 35. Siquidem vicarius foraneus non habet jurisdictionem a jure, sed ab episcopo: atqui episcopus nequit concedere jurisdictionem ordinariam; prout notat, et argumentatur Sanchez, lib. III, *de Matrim.*, disp. 29, n. 10, allegans communem.

22. *Vicarii ulterius alii sunt perpetui; alii temporales.* — Resp. III. Vicarii ulterius alii sunt perpetui, alii temporales. Ita Abbas in c. *Extirpandæ.* § *Qui vero.* n. 5, *de Præbend.* ubi fit expressa mentio de vicario perpetuo; Barbosa, lib. III *Jur. Eccl. univ.*, cap. VI, n. 2, et communis. Quæ vicariorum divisio, cum ampliori indigeant discussione, hinc sit

§ II.

DE VICARIIS PERPETUIS, AC TEMPORALIBUS.

23. *Vicarii perpetui, qui?* — Quæritur I. Qui sint vicarii perpetui, et qui temporales? Resp. I. *Vicarii perpetui* dicuntur, qui auctoritate episcopi canonice sunt instituti ad deservendum cuiusdam Ecclesiæ loco principalis rectoris, cum assignatione congruæ portionis fructuum, quos inde percipere debet. Ita in Glossa in cap. ult. *Perpetuos vicarios*, h. t. et alii.

24. *Tales habent titulum in beneficio, sicque nequeunt removeri.* — Dicitur notanter, « canonice instituti. » Nam vicarii perpetui habent verum titulum, atque idcirco semel canonice instituti nequeunt removeri, vel portione sua fraudari: nisi forsitan aliquid committant dignum depositione, aut privatione beneficii, c. *Ad hæc.* 3. h. t. Unde et *Vicarii perpetui* appellantur, de quibus mox plura.

25. *Temporales, qui; et cur sic appellantur?* — Resp. II. *Vicarii temporales* dicuntur, qui auctoritate legitimi superioris, pro peragendo ecclesiastico servitio in locum ad tempus seu voluntatem constituentis, sufficiuntur; sive dein tales deputentur pro peragendis vice alterius divinis officiis, et in foro pœnitentia; ut sunt vicarii temporales in Ecclesiis parochialibus constituti, c. *Cum ex eo*, 34, *de Elect.* in 6; sive ipsi deputentur pro foro contentioso, ut vicarii generales episcoporum, ac notat Abbas, cit. n. 5. Et tales merito

appellantur *Vicarii temporales*, cum ad nutum ejus, qui ipsos constituit, amoveri valeant.

26. *Vicarii perpetui institutio, ad quem pertineat.* — Quæritur II. A quo, quibusque de causis, instituendus sit vicarius perpetuus? Resp. I. Institutio vicarii perpetui pertinet ad episcopum, sive ordinarium loci, quamvis regulariter ea fieri debeat ad præsentationem, seu nominationem rectoris principalis sive illorum, quorum dignitati, vel capitulo Ecclesiæ parochialis, vel alia perpetuo fuit unita. Ita Nicol. Garcias, part. IX *de Beneficiis*, cap. II, n. 289; Navarrus, consil. 41, *de Statu monach.* n. 3. et 7; Barbosa, lib. III. *Jur. ecclesiast. univ.* cap. VI, n. 35; Pirhing, h. t. n. 3, allegans declarationem sac. Congreg. card. concilii Trident., sess. 7, cap. VII, *de Reform.* et alii. Id ipsum clare colligitur ex c. *de Monachis*, 12 *de Præbend.*, et cap. un. *de Capell. monach.* et Clem. 1, *de Jure patronat.*, ubi tales vicarii dicuntur instituti per episcopum ad præsentationem rectoris principalis, puta monasterii, vel hujusmodi. Unde hoc ipsum regulariter procedit in aliis similibus casibus, ubi ex fundatione, privilegio, vel consuetudine contrarium quid non reperitur observandum.

27. *Et quando institui possit, et soleat?* — Resp. II. Vicarius perpetuus, vel maxime institui potest, ac solet in parochialibus, et aliis beneficiis curatis, quæ cathedrali, collegiæ, vel alteri Ecclesiæ, monasterio, seu collegio, aut aliis piis locis perpetuo unita, et annexa reperiuntur. Desumitur hoc ex c. *Extirpandæ*, 30 § *Qui vero de præbend.*, estque novissime decisum in concilio Trident., sess. 7, cap. VII, *de Reform.* Ubi tamen apponitur limitatio illa: « Nisi ipsis ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur: » tunc sufficit instituere vicarium temporalem, et ad nutum amovibilem.

28. *Recensentur casus, in quibus nequit institui vicarius perpetuus.* — Quinimo dantur nonnulli casus, in quibus, vigore citati concilii Tridentini, nequit episcopus constituere vicarium perpetuum: ut si talis unio a tempore immemoriali facta fuit, ac extunc constet vicarios fuisse ad nutum amovibiles, scientibus et consentientibus ordinariis. Item quando unio facta est per viam pacti, et concordia a Sede Apostolica approbata, aut ex privilegio remunerationis gratia concesso cum clausula, « de serviendo beneficio per vicarium ad nutum amovibilem. » Idemque

dicendum, quando pro bono pacis, et cessatione litium, expediens videtur nihil innovari, sed institui vicarium ad nutum amovibilem. In his quippe casibus, et nonnullis aliis, quos recenset Barbosa, cit. cap. vi, n. 6, et seqq. nequit episcopus in beneficio unito ponere vicarium perpetuum: quia concilium Tridentinum non derogat antiquis concordis, privilegiis, et rationabilibus consuetudinibus. Accedit, quod idem concilium non liberæ episcopi voluntati reliquerit potestatem ponendi vicarium perpetuum: sed utatur verbis in præallegata limitatione contentis, et arbitrium boni viri importantibus: sicque non procedit, ubi constitutio vicarii ad nutum amovibilis magis videtur expedire, quam perpetui; ut fit in casibus præallegatis, ac similibus.

29. *Quando parochia nimis ampla est, potest in Ecclesia filiali poni perpetuus vicarius.* — Resp. III. Quando parochia nimis ampla existit ac populus multus, potest præter Ecclesiam parochialem alia Ecclesia filialis ædificari, quæ sit unita et subjecta Ecclesiæ parochiali, et in ea ad præsentationem rectoris Ecclesiæ majoris, atque institutionem episcopi, una cum congrua proventuum assignatione, poni perpetuus vicarius. Patet hoc ex c. *Ad audentiam*, 3, de *Eccles. ædificand.* Tacentur alii consimiles casus de quibus Hostiensis in *Summa* h. t. n. 5 et alii.

30. *Vicarius perpetuus acquirit jus in re verumque titulum in beneficio.* — Queritur III. Quid juris competat in perpetuis Ecclesiarum vicariis? Resp. I. Vicarius perpetuus in Ecclesia parochiali, seu curata canonice institutus, acquirit jus in re, verumque titulum canonicum in tali beneficio. Ita Hostiensis in *Summa* cit. n. 5; Fagnanus, c. *Ex parte*, n. 19, et 20, h. t.; Pyrrhus Corradus in *Praxi benefic.* lib. III, n. 1, et 2; Franchedinus, consil. 99, et communis aliorum. Atque imprimis desumitur hoc ex c. *Constitutis de Filiis presbyt.* ubi restituitur spoliatus vicaria perpetua; et consequenter habuit antea jus in illa. Accedit Glossa in cap. 1, §. *In diversis*, h. t. ubi ait, quod idem sit, si quis habet perpetuam vicariam, sicut qui haberet Ecclesiam intitulatam, arg. cap. ult. h. t. Concordant proxime dicta n. 24.

31. *Et habens vicariam perpetuam censetur beneficiatus.* — Hinc, qui habet vicariam perpetuam, intelligitur beneficiatus; ut c. *Postulasti*, 27, de *Rescript.*, ibi: «Non enim beneficio carere debet dici, cui competenter de

perpetuæ vicariæ proventibus est provisum.»

32. *Quæ a jure statuta sunt de Ecclesiis curatis, locum habent in vicariis perpetuis.* — Deinde vicaria perpetua æquiparatur beneficio curato, seu parochiali: et quæ de Ecclesiis curam animarum habentibus, quantum ad amissionem prioris per receptionem alterius, quæque de earum rectoribus, quantum ad susceptionem sacerdotii intra annum ac debitam ætatem, jura statuerunt, etiam in perpetuis Ecclesiarum parochialium vicariis et assumptis ad eas observandas esse expresse statutum habetur in Clem. un. h. t. Verba ipsius sunt bene notanda, et sic sonant: «Quæ de Ecclesiis curam animarum habentibus per receptionem aliarum similium amittendis; Ac de ipsarum rectoribus promovendis ad sacerdotium; Et de eorum ætate, a jure statuta noscuntur: in perpetuis Ecclesiarum parochialium vicariis, et assumptis ad eas volumus observari.» Hæc ibi.

33. *Idque declaratur singillatim.* — Unde infertur, quod sicut non potest quis simul esse rector, seu parochus plurium, et diversarum Ecclesiarum, ita nec vicarius perpetuus, cap. ii, h. t. juncta Glossa, ibid. §. *plures*. Et sicut beneficium curatum, seu parochiale, vacat ipso jure per alterius similis beneficii adeptionem, c. *de Multis*, 28, de *Præbend.*, juncto concilio Tridentino, sess. cap. ii, et iv, de *Reformat.*; ita etiam dicendum est de vicaria perpetua.

34. *Idque declaratur singillatim.* — Insuper sicut nemo potest consequi beneficium curatum ante vigesimum quintum ætatis annum saltem inchoatum, c. *Cum in cunctis*, 7, §. *Inferiora*, de *Elect.* ita nec vicariam perpetuam. Glossa in cit. Clem. un. de *Ætate*, h. t. doctores communiter. Et sicut de facto, si promoti ad Ecclesias parochiales infra annum non ordinentur presbyteri, vacat Ecclesia ipso jure; ita pariter dicendum de vicariis perpetuis talium Ecclesiarum parochialium. juxta cit. Clem. un. h. t. estque jam dictum supra, tit. de *Ætate et qualitate præficiendorum*, n. 29 et 30.

35. *Idque declaratur singillatim.* — Licet autem præallegata Clem. un. h. t. solum in prædictis tribus casibus vicarios perpetuos æquiparet ipsis rectoribus Ecclesiarum parochialium, ut notat Glossa, Imola, Jo. Andreas in *Summario*, ibid. et communis; ac proinde Abbas Panormit. in ead. Clem. n. 5. et Barbosa, lib. III, *Jur. Ecclesiast. univ. can.*

vi, n. 17. velit quod extra dictos tres casus appellatione rectoris non veniat vicarius perpetuus in constitutione poenali; nihilominus Glossa ibid. §. *Amittendis*, et Imola §. *Secundo querit.*, et Fagnanus in c. *Ex parte*, n. 22, de *Offic. vicar.* citans communem, notanter observant, quod etiam Extravag. Joannis XXII. *Execrabilis*, locum habeat in his vicariis perpetuis, eo quod expresse loquatur de beneficiis, et officiis curatis in §. *Qui vero*; ac notum sit, quod etiam vicaria perpetua intelligatur nomine beneficii, c. *Postulasti*, et ibi Glossa §. *Beneficium de Rescriptis*.

36. *Titulus vicarii perpetui in beneficio, quæritur?* — Resp. II. Titulus tamen ille, quem habet vicarius perpetuus in beneficio curato, non est directus (hic enim est penes rectorem principalem, cujus vices alter gerere dicitur), sed utilis, sive est jus portionis ex annuis redditibus sibi assignatæ ob spirituale ministerium capiendæ. Ita Pirhing h. t. 8 citans alios.

37. *Congrua portio de fructibus beneficii, quæ ratione eidem debeat assignari?* — Et additur, «jus portionis.» Quia vicarius etiam perpetuus, non debet habere omnes fructus Ecclesiæ, sed tantum congruentem portionem. Abbas in c. *Extirpandæ*, §. *Qui vero*, n. 6, de *Præbend.* Quæ quidem congrua portio auctoritate vicario assignari accedente et decrevit concilium Trident. sess. 7, cap. v et cap. vii de *Reform.* et alibi. Estque in taxanda tali portione præcipue attendendum ad conditionem personæ, facultates Ecclesiæ, regionis consuetudinem, ac situm beneficii: ut nimirum vicario tantum relinquatur, unde possit conformiter suo statui honeste sustentari atque hospitalitatem in pauperes ac peregrinos exercere, juraque episcopalia persolvere, c. *de Monachis*, 12, de *Præbend.* juncta Glossa et doctores ibid.

38. *Quid circa eam statuerit beatus Pius V. in bulla, Ad exequendum.* — Et quamvis beatus Pius V. in bulla, *Ad exequendum* (quæ habetur tom. II. *Bullarii Romani*, constit. 47 citati Pontificis), definierit, quod dicta portio vicariis parochialium Ecclesiarum arbitrio prælatorum assignanda, «non debeat esse major centum, nec minor quinquaginta scutorum annuorum summa, computatis omnibus etiam incertis emolumentis» etc.; nihilominus hanc bullam beati Pii V. postmodum Gregorio XIII. esse reductam ad terminos

juris communis, et concilii Tridentini, refert Barbosa, lib. III, *Jur. Ecclesiast. univ.* cap. vi, num. 44, post Valenzuel, consil., 54, num. 20. Imo alicubi omnes fructus beneficii relinquuntur vicariis cum onere, ut in annos singulos certam summam persolvant rectori principali, ut puta capitulo, vel monasterio, cui ad sublevandam ejus indigentiam beneficium illud legitime fuit unitum.

39. *Portio illa fructuum nequit vicario perpetuo postea minui, simulque hic cum ea, licet sit tenuis, debet esse contentus.* — Verum, quia vicarius perpetuus intitulatur in Ecclesia, seu beneficio curato, atque de assensu et auctoritate episcopi certa ipsi portio reddituum assignatur: hinc non poterit is per rectorem principalem, aut ipso defuncto per ejus successorem, a dicta Ecclesia, sive beneficio amplius removeri, nec assignata sibi portio minui, nisi propter commissum crimen per judicem in vicaria vel beneficio fuerit condemnatus. Textus est in c. *Ad hæc*, 3, h. t. estque jam dictum n. 24. Ac vicissim, ubi a principio congrua portio fuit assignata vicario, debet is illa esse contentus; sibi que imputet, quod adeo tenuem acceptaverit, nisi forsitan penitus non sufficiat ad ejus sustentationem. Barbosa, cit. cap. vi, n. 43.

40. *Vicarius perpetuus Ecclesiæ habet curam animarum in actu, rector principalis in habitu.* — Resp. III. Vicarius perpetuus in parochiali Ecclesia constitutus, eandem potestatem habet, quam verus parochus: ita tamen ut tota cura actualis, seu quoad exercitium competat vicario, rector vero principalis non nisi habitu curam retineat. Ita Glossa marginalis in c. *Super eo*, §. *Annexa de Præbend.* in 6. ubi inquit, quod vicarius habet curam in actu quoad forum poenitentiale, sed rector in habitu. Abbas in c. *Extirpandæ*, §. *Qui vero*, n. 6, de *Præbend. et in solemnii Repetitione*, cit. §. *Qui vero*, n. 15; Barbosa, lib. III, *Jur. eccles. univ.* cap. vi, n. 28, post Rotam, decis. 2, de *Offic. vicarii*, in antiq. Seraphin. decis. 109, n. 5 et alii. Ratio est: quia vicarius perpetuus, hoc ipso, quod sit talis, fungitur perpetuo vice alterius, nempe rectoris principalis; ergo ille habet quidem curam animarum in actu, seu quoad actuale exercitium, iste vero retinet eam in habitu.

41. *Vicarius perpetuus proprie non dicitur rector Ecclesiæ.* — Unde fit, quod vicarii perpetui proprie non dicantur rectores Ecclesiarum; sint tamen rectores curæ animarum. Barbosa, loc. cit. num. 26; Fagnanus